

ipso appetibilitatem, quia gratia illius appetuntur.

XII. Secundo arguitur: Quia vel intentio finis est causa realis electionis, quotiescumque fit electio, vel non. Si primum, ergo semper intentio est actus distinctus ab electione, quia non potest dari causa realis, nisi ubi est distinctio realis. Et tunc restat argumentum: Quia aliquando medium solum appetitur propter finem virtualiter, et implicite in eo contentum, quia non recordatur actu de fine; ergo tunc non datur formalis intentio, nec causa realis electionis, sed datur solum electio, seu actus eligendi, in quo virtualiter manet intentio finis. Talis autem actus non potest esse causa electionis, quia idem non est causa respectu sui ipsius. Si dicatur secundum; ergo tunc eodem actu aliquis attinget finem, et eliget media, si quidem non datur tunc actus intentionis realiter diversus, qui sit causa electionis; intentio autem, et electio sunt actus specie diversi, quia objecta sunt actus specie diversa, scilicet finis et media, sicut in intellectu principia, et conclusiones; ergo idem actus habebit duplicem speciem, cum tamen sit unus entitative, et numero.

XIII. Confirmatur, quia si eodem actu posset quis ferri in media, et in finem, posset eodem actu intelligere principia, et conclusiones; intendere finem, et eligere media; habere amorem, et odium; velle intense, et remisse. Quæ omnia absurda sunt, et impossibilia in eodem actu entitativo, etiam respectu diversorum. Sequela patet, quia potest intelligere conclusiones in ordine ad principia, et tunc intelliget simul utrumque. Potest etiam quando eligit determinatum medium in ordine ad finem, virtualiter in ipso medio attingere finem. Similiter potest odio habere peccatum ex amore

Dei, tamquam ex fine dilecto, ut contritione. Et denique intense amare sanitatem, et tepide potionem amaram.

XIV. Respondetur, quod intentio finis, si realiter existat, erit causa realis electionis mediorum, sicut assensus præmissarum est causa realis illativa, et effectiva assensus conclusionis, quia in illum influit. Si autem actus intentionis non existat, sed sit præteritus, aliqui existimant adhuc esse causam realem electionis, quia perseverat virtualiter illa prior intentio, et ratione illius fit electio mediorum, sicut manet animal mortuum virtualiter in semine, et mediante illo generat. Alii vero existimant tunc intentionem non esse causam realem, etiam virtualiter, ita quod influat in media, seu in electionem, quia illa prior intentio solum manet virtualiter in ipsa electione, seu voluntate mediorum, hæc enim est voluntas derivata a voluntate finis, et virtualiter ipsam retinens. Non potest autem idem actus esse causa realis sui; ergo intentio virtualiter relicta in electione non est causa realis ipsius electionis.

XV. Cæterum nos supra disputatione prima ostendimus virtutalem relationem ad finem, et intentionem, seu determinationem ejus non manere solum in actu secuto, qui est quasi effectus ex intentione illa virtuali causatus, sed manere in aliqua determinatione ipsius potentiae, vel habituali si habitus est genitus, aut dispositione si est inchoatus, vel saltem in ipso dictamine, et iudicio, quod in memoria servatur, ex quo movetur quis ad procedendum in actus, qui ex tali intentione virtuali oriri, et causari solent. Nam enim manere potest in electione (ut argumentum probat) quia electio ipsa est effectus secutus, et causatus ex illa intentione

jam præterita, et virtualiter manente; ergo virtus illa debet esse influens in electionem: non ergo in ipsa electione remanet, aut relinquatur, sed in aliquo antecedente, sicut inconvenienter diceretur quod virtus animalis, qua generat prolem, manet in ipsa prole; si enim proles est effectus talis virtutis, non in ea ponenda est, ut eam efficiat. Quare virtualis illa intentio non est aliud, quam dispositio ipsa, seu determinatio potentiae, quatenus voluntas illa manet determinata, et conversa ad illum finem, et ex tali conversione, seu determinatione operatur, et procedit ad electionem et alios actus, et quia non semper operatur istos actus, semper autem est disposita potentia, et determinata, ut possit illos operari; ideo ista virtualis intentio, seu dispositio potentiae non manet in illis actibus, sed in ipsa potentia, vel in aliquo movente potentiam. Unde D. Thomas infra quæstione cix, articulo viii, docet: « Quod qui est in peccato mortali, non potest diu vitare alia peccata, quia homo in repentinis operatur secundum finem præconceptum, et secundum habitum pæexistentem, unde nisi per gratiam convertatur ad debitum finem, operabitur secundum consequentiam voluntatis deordinatæ. » Ergo secundum D. Thomam manet aliqua determinatio in homine ex illo fine præcepto, unde operatur secundum consequentiam voluntatis deordinatæ. Et tacite designat D. Thomas ubi manet illa determinatio, scilicet in fine præconcepto, aut habitu præexistenti, quia habitus, aut dispositio similis habitui determinat potentiam actuando, et finis præconceptus, seu iudicium et dictamen de illo manet in intellectu movente. Et manet ibi, quatenus in memoria, seu speciebus conservatur.

XVI. Concedimus ergo, quod isti actus intentionis, et electionis semper realiter in nobis distinguuntur, si secundum se, et formaliter sumantur, et quatenus unus est causa alterius, vel per se, vel per suam virtutem, et determinationem relictam ad eliciendum actum electionis. Si vero loquamur de intentione ut virtualiter inclusa in ipso actu electionis, prout in effectu etiam resplendet virtus causæ, id est, ordo ad illam causam, sic intentio illa virtualis, est seu illa virtualitas intentionis, non causa ipsius electionis, nec in illam effective influit, quia solum ibi continetur respectus, seu virtualitas intentionis ut in effectu, non ut in efficiente, aut in virtute, et determinatione efficiendi ipsammet electionem, sed solum est respectus, et ordo effectus ad causam, quod si electio iterum est causa alterius actus, verbi gratia imperii, aut usus, etc. respectu illius bene potest electio, et virtualitas illa intentionis effective comparari. Sed nos solum loquimur respectu ipsius electionis. Et cum dicitur, quod electio est distincta specie ab intentione, dicimus quod verum est loquendo de ipso actu electionis, et intentionis formalis, quorum unus causat alium. Et tales actus nunquam entitative sunt unum, nec idem actus habet duplicem speciem, nec idem actus est causa sui. Loquendo autem de intentione virtuali, quæ remanet post actum intentionis, illa formaliter non est actus; sed determinatio aliqua, seu dispositio relicta ex actu, quasi effectus ejus. Et hæc etiam distinguitur ab electione. Respectus vero, qui in ipso actu electionis includitur ad intentionem, et vocari etiam potest virtualiter intentio, id est, ordo, et respectus ad intentionem, non distinguitur ab electione, quia in omni effectu includitur respectus, et ordo, seu participatio cau-

sæ. Et quando dicit D. Augustinus XI de Trinitate, cap. VI, quod sunt distinctæ voluntates, videndi fenestram, et per illam videndi transeuntes, cum tamen hæc secunda sit finis primæ, respondetur loqui Augustinum de illis voluntatibus, quatenus respiciunt finem, et media, ut objecta terminativa distincta, et ut objectum quod diversum.

XVII. Ad confirmationem respondetur non posse aliquem eodem actu intendere finem, et media, conclusiones, et principia, si ista objecta attingantur ut terminantia actus suos, sic enim unus actus est causa alterius. Si autem attingantur ista objecta, alterum ut quo, alterum ut quod, sic eodem actu electionis potest utrumque attingi; in mediis enim virtualiter includitur finis tamquam dans illis rationem bonitatis. Et licet actus intentionis, vel virtus, aut determinatio ex illa relicta non includantur in actu electionis, sed causent ipsum, tamen in objecto electionis, quod est medium eligendum semper involvitur respectus ad finem, tamquam a quo habet bonitatem, et participat eam, et sic finis se habet ut ratio formalis illius objectiva, seu ex parte objecti se tenens, sicut lux ad colores. Et hoc modo utrumque eodem actu potest attingi. Cum autem intentio procedit de imperfecto ad perfectum, primo intendit finem ut assequibilem per media in confuso cognita, deinde in particulari discernit ipsa media, et tunc operatur, et influit finis intentus ad eligendum medium illud in particulari, vel formaliter si existat ipse actus intentionis, vel virtualiter prout permanet virtus talis intentionis in aliqua dispositione, vel determinatione potentie non retractata, eo modo quo explicatum est, et sicut assensus præmissarum influit assensum conclusionum.

XVIII. Ad id quod dicitur de odio unus, et amore alterius; intensione circa unum objectum, et tepeditate, vel remissione circa aliud, respondetur non convenire istas conditiones eidem actui numero, sed diversis, quatenus unus imperatur ab alio, verbi gratia ex amore Dei ut finis imperatur odium peccati, et quia ex illo procedit, dicitur odium illius virtualiter esse amor alterius, quia virtualiter operatur in illo, dum derivatur ex illo. Et voluntas sumendi potionem amaram potest formaliter esse remissa, et tepida, et cum quadam retardatione, virtualiter autem efficax, et vehemens, prout ex affectu efficaci sanitatis derivatur ista voluntas sumendi cum effectu potionem, licet retardante horrore amaritudinis; et sic efficacia, et intensio solum ibi virtualiter, et participative invenitur ex priori voluntate, non formaliter in se.

ARTICULUS IV.

Quid sit motio moralis, et physica: quid movens physicum, et morale voluntatis?

I. Dico primo: Objectum propositum per intellectum non movet voluntatem vera, et reali efficientia physica, sed solum per modum principii objectivi specificantis, quod pertinet ad rationem causæ formalis, vel per modum causæ finalis, cujus motio dicitur metaphorica, seu moralis, quia est allicientia qua finis attrahit, et allicit voluntatem: hoc enim est moraliter, seu metaphorice movere, ut distinguitur contra physicum impulsum, et motionem causæ realiter, et proprie influentis. Hæc conclusio duas habet partes. Prima, quod objectum non movet voluntatem efficienter cujus

oppositum Cajetano loco infra citando ex prima parte aliisque tribuitur: secunda, quod objectum solum movet formaliter. Sumitur tamen utraque ex D. Thoma hic q. IX, a. I, et I p. q. LXXXII, a. IV, ubi docet: « Quod intellectus movet voluntatem quoad specificationem, seu per modum finis ex parte objecti propositi, et voluntas movet intellectum quoad exercitium, seu efficienter. » Similiter in hac questione IX, a. I, docet de ipso objecto: « Quod movet intellectu determinando actum ad modum principii formalis, a quo in rebus naturalibus specificatur actio. » Et addit Quod isto modo motionis intellectus movet voluntatem sicut præsentans ei objectum suum. » Et hoc vocamus motionem moralem, scilicet allicientiam objecti ratione suæ bonitatis ut intentionaliter repræsentatæ per intellectum, ipsa enim intentionalis repræsentatio objecti quatenus repræsentative, et non physice effective movet dicitur movere moraliter, seu metaphorice. Ex eo autem quod D. Thomas ex professo tractat, et assignat cuilibet potentie suum modum movendi proprium, et distinctum, et intellectui non attribuit motionem effectivam, sed solum formalem, et finalem, voluntati vero tribuit effectivam, recte colligimus illi non esse tribuendam, alioquin diminutus esset D. Thomas non assignando illam.

II. Et fundamentum primæ partis conclusionis est, tum, quia duæ potentie non possunt se ad invicem movere in eodem genere causæ, sic enim essent simul causa et causatum, prius et posterius in eodem genere causæ, quod repugnat: sed voluntas est principium movens efficienter intellectum, quia movet per modum inclinationis, et impulsus; ergo intellectus non potest voluntatem movere in eodem genere

causæ. Et si cum intellectus moveat voluntatem proponendo, et præsentando ei objectum, utique objectum propositum non movebit voluntatem efficienter secundum veram, et rigorosam efficientiam; tum etiam, quia objectum propositum in tantum movet in vi objecti in quantum est bonum; ergo in eo genere causæ movet in quo bonitas potest movere; bonitas autem non movet efficienter, sed finaliter, quia movet ut appetibile alliciendo ad sui consecutionem, et ratione suæ perfectionis apprehensæ; ergo sicut finis non movet per efficientiam veram, et propriam, sed metaphorice, ipsam voluntatem, quæ in re est causalitas finalis, ita objectum, quod est bonum, non movet per veram efficientiam loquendo in vi objecti.

III. Et confirmatur, quia appetitus naturalis, verbi gratia, lapis fertur in suum finem, id est, in centrum, sine hoc quod centrum moveat effective lapidem, sed effective movetur a suo generante ut a principio movente ut quod, a gravitate autem, ut a principio quo instrumentali. Ergo similiter appetitus elicitus non movebitur a fine, et objecto efficienter, sed finaliter, et specificative, in hoc enim non apparet discrimen inter appetitum elicitem, et naturalem.

IV. Dices: Licet objectum moveat solum ratione bonitatis allicientis, quæ motio est moralis, tamen ipsa apprehensio, et actus intellectus efficientiam in voluntatem habere potest, quia est actus potentie moventis per imperium: nam imperium est actus intellectus, ut docet D. Thomas infra questione XVII, art. I. Imperium autem effective movet, quia imperium est applicativum, et impulsivum ad operandum, obligat enim ut fiat talis operatio, applicare autem, et impellere proprium est